



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1925**

De S. Baudolino Confessore Alexandriae Statiellorum Commentarius  
Praevius

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

A

B

## DE S. BAUDOLINO

CONFESSORE ALEXANDRIAE STATIELLORUM

SAEC. VIII

H. D.

## COMMENTARIUS PRAEVIUS

Elogium  
e Paulo  
diacono.

1. Forum, nunc Villa del Foro dictum, pagus 2 km. Alexandria Statiellorum distans, ad dextram Tanari fluminis ripam situs (1), natale solum esse censetur S. Baudolini, seu Baodolini (2) qui Liutprandi regis Langobardorum († 744) aetate magnam sanctitatis jam adeptus est. Huius res gestas his paucis complectitur Paulus diaconus (3): Huius regis temporibus fuit in loco cui Forum nomen est, iuxta fluvium Tanarum (4), vir mirae sanctitatis Baodolinus nomine, qui multis miraculis, Christi gratia suffragante, refulsit. Qui saepe futura praedixit, absentia quoque quasi praesentia nuntiavit. Denique cum rex Liutprand in Urbem silvam (5) venatum isset, unus ex eius comitibus cervum sagitta percutere nisus, eiusdem regis nepotem, hoc est sororis eius filium, Aufusum nomine (6), nolens sauciavit. Quod rex cernens — valde enim eundem puerum amabat — cum lacrimis eius incommodum lamentari coepit statimque unum e suis equitem misit, qui ad virum Dei Baodolinum curreret eumque peteret, ut pro vita eiusdem pueri Christum supplicaret. Qui cum ad servum Dei pergeret, puer defunctus est. Cui Christi famulus ad se pervenienti ita dixit: « Scio quam ob causam veneris; sed illud quod postulare missus es iam fieri non potest, quia puer ille defunctus est. » Quod cum is qui missus fuerat regi quod a servo Dei audierat renuntiasset, rex, licet doluerit, quod effectum supplicationis suae habere non potuit, tamen quia vir Domini Baodolinus prophetiae spiritum habuerit, aperte cognovit (7).

B

2. Commemoratur etiam in Chronico Novaciensi: Huius [Liutprandi] temporibus apud Forovicum erat sanctus Baodelinus (8). Quae cum a Paulo diacono chronista didicerit, nullius profecto momenti sunt, et ad unum testimonium reducuntur quaecumque ab antiquis de Baudolino tradita sunt. Haec admodum pauca esse nemo non videt, nec quicquam in iis esse e quibus anni ortus et obitus sancti viri cultusque initia deduci possint. Corpus eius Fori diu iacuisse, donec Alexandriam, ubi nunc servari dicitur, sollempni

Sacrum  
corpus

pompa deferretur non est dubitandi locus. Templum eius nomini sacrum, vigesimo circiter post extractam Alexandriam anno 1189 excitatum esse ferunt (9). Utrum Alexandri III iussu reliquiae huc delatae fuerint necne inquirere non iuvat, cum anno 1181 pontifex obierit. Maioris momenti est notasse ecclesiam in qua S. Baudolini exuviae ab Alexandrinis colebantur annexam habuisse domum quae inter antiquissima Ordinis Humiliatorum monasteria recensetur, atque hinc factum esse ut suorum sanctorum numero Baudolinum ascripserint Humiliati (10).

Alexan-  
driam  
deducitur.

3. Anno 1483 editum est Mediolani breviarium « secundum stilum et consuetudinem et constitutionem Ordinis fratrum Humiliatorum (11) », in cuius calendario nuntiatur III id. nov. Baudolini episcopi et confessoris, in corpore autem haec leguntur: In sancto Baudulio episcopo et confessore Ordinis Humiliatorum IX lectionum. Omnia fiant sicut in communi unius confessoris pontificis. In editionibus quae principem mox subsecutae sunt nihil immutatum fuisse videtur. At in editione anni 1548, quam Tiraboschius prae manibus habuit (12), et deinceps, insertum est breviarium Humiliatorum, officium proprium S. Baudolini, cum lectionibus quas historicas dicit. Has infra typis mandabimus e foliis impressis quae ad nostros saec. XVIII missa sunt (13), et quae cum veteribus breviarii editionibus consonare videntur (14). Plurima, quae Paulus diaconus ignoravit, de sancto nostro narrantur in hisce lectionibus, ut verbi gratia quod patriam hereditatem pauperibus erogavit, quod iuxta ecclesiam Deiparae, quae Fori erat, degebat, quod ab episcopis Derthonensi et Aquensi in collegam ascitus fuit, et mirabilia patravit, quorum praecipua sunt de oleribus in ipsa hora ex semine crescentibus, de tunica aquis intrata et sanctum vehente, de anseribus eius voci oboedientibus, de cerva lac sitiens praebente. Ut de miraculis taceamus quae vel ex ore vulgi collecta vel a pio fabulatore accepta sunt, quis non videt omnia et singula, coaevis testimoniis destituta et ad normam hagiographis usitatum prolata,

Lectionum  
breviarii  
Humilia-  
torum

(1) A. AMATI, *Dizionario corografico dell'Italia*, t. VIII, p. 1371; t. I, p. 191. — (2) In cartis Alexandrinis nominis formam contractam *Baurino*, *Ballino*, *Borino* etc. saepius occurrere notat FR. GASPARELO, in *Rivista di Storia, Arte, Archeologia della Provincia di Alessandria* t. XVIII (1909), p. 86. Praeter nomen quandam affinitatem, nihil S. Baudolino cum S. Baudelio al. Baudulo (*Act. SS.*, Mail t. V, p. 194\*-197\*) commune esse recte perspexit vir doctissimus. — (3) *Historia Langobardorum*, VI, 58. — (4) Tanarus fl. = Tanaro. — (5) «Silvam quam Urbem appellant», *Hist. Lang.*, V, 37; «egressus ad Urbem vastissimam silvam», V, 39. — (6) Aufusus nepos Liutprandi regis. — (7) *M.G.*, *Script. rerum Langob.*, p. 186. — (8) *M.G.*, *Scr.*, t. VII, p. 98. — (9) GHILINI, *Annali d'Alessandria*, ad ann. 1189, ed. A. BOSSOLA, t. I (Alessandria,

1902), p. 81. — (10) H. TIRABOSCHI, *Vetera Humiliatorum Monumenta*, t. I (Mediolani, 1766), p. 122. De S. Baudolino ita egit Tiraboschi, p. 212-23, ut nemo melius. De Humiliatis recens scripsit L. ZANONI, *Gli Umiliati nei loro rapporti con l'eresia, l'industria della lana ed i Comuni*, Milano, 1911. — (11) De hac ceterisque Breviarii Humiliatorum editionibus lege J. WICKHAM LEGG, *The Divine Service in the Sixteenth Century, illustrated by the Reform of the Breviary of the Humiliati in 1548*, in *Transactions of the St. Paul's Ecclesiological Society*, t. II (1890), p. 273-95. — (12) *Op. c.*, t. I, p. 223. — (13) Nunc in cod. bibliothecae Regiae Bruxellensis 8936-38, fol. 230-232. — (14) In lect. I, habetur in editione Mediolanensi 1751, qua utitur Tiraboschi (p. 214-215);... *Alexandria existit oriundus*; in veteribus autem et in nostra: *Alexandria Europae*.

nulla

A nulla esse consideratione digna? Quare ne tempus et oleum perdamus, de episcopatu S. Baudolini, cuius nulla unquam designata est sedes, quemque ideo chorepiscopum fuisse nonnulli somniantur, nihil addendum est, nec quaerendum an reapse dicendus sit confessor Ordinis Humiliatorum, quippe qui quattuor ante primum natos Humiliatos saeculis vixerit. Nec mentione digni sunt qui erroribus e turbido fonte haustis sola oscitantia novos addiderunt (1).

fontes.

4. Quamquam plerique eorum qui de S. Baudolino postea scripserunt ea fere narrant quae in breviario Humiliatorum leguntur, non ille tamen qui S. Baudolini officium proprium composuit eadem primus finxisse dicitur. Usus enim esse videtur commentario manuscripto, nunc deperdito, quem Georgii Merulae nepos (2) de S. Baudolino latine conscripsit, quemque postea adhibuit P. Archangelus Caraccia, O. P., qui anno 1600 Vitam eiusdem iusiorum edidit (3). Eadem fere aetate Vitam S. Baudolini italico itidem idiomate compilavit P. Iohannes Petrus Tanius († 1615). Libellum nunquam typis, quod sciam, editum habemus inter Collectanea Bollandiana ad diem 10 novembris, cum hac nota P. Bollandi: Accepi Mediolano a P. Iohanne Baptista Verace, 20 Ianuarii 1644. Auctor est P. Petrus Tani, qui et plures sanctorum Vitae composuit. Vide Alegambe in Bibl. Soc. p. 263 (4). Nulla prae manibus habuit documenta, et anonymo Merulae nepoti fidem praestitit. Huius autem commentario etiam usi sunt alii nonnulli, in quorum libris frustra requiras quae auctor lectionum non saltem tetigerit. In huius igitur lubricatione prolixo operis, cuius iacturam non tantopere doleamus oportet, aptam habemus epitomen, fabellis debite instructam. Caracciam secuti sunt Gallizia (5), G. M. Donna (6), G. A. Scazzola (7), G. T. Canestri (8), G. Buzzi (9), G. Novelli (10), sancti patroni Vitam paulo diligentius, historico potius quam oratorio more, conscribere tentarunt, non ea tamen ratione quae post criticam Tiraboschi syllogem expectari poterat, modo allata testimonia accurate pensilassent. Nuperrime autem Franciscus Gasparolo, rerum patriarum indagator assiduus, qui missis libellis et chartis de S. Baudolino ab opere nostro bene meritus est, Saxii, bibliothecarii Ambrosiani, litteras edidit, quibus crassiores de sancto nostro errores rejeluntur (11). Monuit nos idem vir humanissimus

Vitae S. Baudolini scriptores.

C

in bibliotheca civitatis Alexandrinae exstare Vitam manuscriptam S. Baudolini, a Burgonzio compilatam. Hac autem sedulo usus est G. Novelli. Quare visum non est in eadem enucleanda tempus consumere.

AUCTORE H. D.

5. Ex antiquis civitatis Alexandriae Statutis quae anno 1297 compilata sunt, constat iam saec. XIII diem S. Baudolino sacram, quae novembris 10 est, inter « festa celebranda » annumeratam fuisse (12). Si Ghilino credendum est, iam anno 1189 ceriae quotannis hoc die S. Baudolino offerendae Alexandrini volum suscepserunt, quod, teste Caraccia, publico instrumento renovatum anno 1599, procul dubio ratihabuit est in synodo dioecessana anni 1602 (13). Post editum a Pio VI breve Paternae caritati die 27 maii 1786, de imminutione festorum, quo praeter dies sollempniores ubique locorum observandos praecipit obligatio restringebatur ad festum unius tantum patroni, eius scilicet pro universa quavis dioecesi qui principalior est patronus civitatis in qua sedes est episcopalis, a vicario capitulari, sede vacante, archidiacono Chenna, litteris die 3 iulii eiusdem anni datis, statutum est ut S. Baudolini episcopi et confessoris veluti principalis patroni et protectoris civitatis festum in tota dioecesi deinceps servaretur. Quando anno 1805 sedes Alexandrina cum Casalensi, Derthonensi et Bobbiensi unita est, ad novam dioecesim Casalensem extensum est officium et missa S. Baudolini sub ritu duplici maiore. Restituta autem anno 1817 dioecesi Alexandrina, rursus coli coepit S. Baudolinus ut patronus principalis sub ritu duplici primae classis cum octava. Ad annum usque 1893 officium erat de communi confessorum pontificum, praeter versus et antiphonas ad Magnificat et ad Benedictus. Anno 1893 additae sunt lectiones propriae secundi nocturni (14).

Varia cultus indicia.

E

6. Postquam diuturno tempore in propria ecclesia S. Baudolini corpus requieverat, a P. Vincentio Montesanto, praesente cardinali Octavio Paravicino, tunc episcopo Alexandrino, recognitum est, anno 1595, ut iuse narratur in instrumento quinque post annis iussu P. Vincentii, tunc episcopi Aprutiensis, confecto, a Cardinali Paravicino, qui tum Alexandrinae sedi renuntiavit, approbato, cuiusque verba referre operae pretium est.

Reliquiarum recognitionis

F

Frater Vincentius Montesantus Ordinis Praedicatorum, Dei et apostolicae sedis gratia epi-

instrumentum anni 1595.

(1) Verbi gratia H. MENARDUS, *Martyrologium Sanctorum Ordinis S. Benedicti* (Parisiis, 1629), p. 741, sanctum nostrum, quem vocat Baudolinum et Bandolinum, episcopum Alexandriae de Palea fuisse asserit, Alexandriae videlicet quae anni 1168 exstructa est. G. BUCELINUS, *Menologium Benedictinum*, p. 769-70, Menardum fere exscribens, Baudolinum seu Bandalinum « regulam S. P. N. Benedicti apud patres nostros Humiliatos professum » esse opinatur. — (2) De Georgio Merula plurima collegerunt F. GABOTTO et A. BADINI CONFALONIERI, *Vita di Giorgio Merula*, in *Rivista di Storia, Arte, Archeologia della Provincia di Alessandria*, t. II (1893), pp. 7-66, 279-356; t. III, pp. 3-69, 151-73, 227-350. — (3) *Vita del glorioso santo Baudolino protettore della città d'Alessandria*, Alessandria, 1600; *ibid.*, 1655. — (4) Cod. 8936-38 bibliothecae Regiae Bruxellensis, fol. 233-237. — (5) *Atti de' Santi che fiorirono ne' domini della reale casa di Savoia*, t. V (1757), p. 1-18. — (6) Ora-

zione panegerica in onore di S. Baudolino, Alessandria, 1782, 39 pp. — (7) *Elogio di S. Baudolino*, Alessandria, 1830, 29 pp. — (8) *Vita di S. Baudolino vescovo protettore della città e diocesi d'Alessandria compilata colle regole della più esatta critica*, Tortona, 1818, 24 pp. — (9) *Cenni storici sulla vita di San Baudolino*, Torino, 1849, 95 pp. — (10) *Della vita e del culto di San Baudolino vescovo*, Alessandria, 1873, 48 pp. — (11) *San Baudolino patrono della diocesi Alessandrina*, in *Rivista di Storia, Arte, Archeologia della Provincia di Alessandria*, t. XVIII (1909), p. 83-91. — (12) *Codex Statutorum magnificae communitatis atque dioecesis Alexandrinae* (Alexandriae, 1547), p. ccci. Cf. NOVELLI, t. c., p. 37; L. FONTANA, *Bibliografia degli Statuti dei comuni dell'Italia superiore*, t. I (Torino, 1907), p. 18-21. — (13) *Universae Constitutiones synodales ecclesiae Alexandrinae hactenus repertae*, Alexandriae, 1711. Cf. NOVELLI, t. c., p. 37. — (14) Cf. NOVELLI, t. c., p. 41-42.

-scopus

AUCTORE H. D.

scopus Aprutinus, princeps Terami comesque Bisemni etc. Universis et singulis praesentes litteras inspecturis fidem facimus et in verbo veritatis attestamus qualiter de anno 1585, quo tempore praeramur conventui Sanctae Crucis et Omnium Sanctorum Boschi Provinciae nostrae utriusque Lombardiae, cogitavimus sacras reliquias sanctorum Valerii episcopi et martyris (1) et Baudolini episcopi et confessoris in ecclesia sancti confessoris praedicti in civitate Alexandriae reconditas ad decentiorem locum transferre. Quare illustrissimus ac reverendissimus D. Octavius Paravicinus S. R. E. Cardinalis, tunc ecclesiae Alexandrinae dignissimus episcopus, a nobis rogatus, et associatus a quampluribus presbiteris aliisque religiosis et saecularibus viris, die statuta ingressus dictam ecclesiam quae est dicti conventus Boschensis, factaque oratione ad altare ipsius sancti Baudolini situm a dextris illius ecclesiae, accessit ad posteriorem partem dicti altaris, ubi erat tumulus quidam lateribus et caemento constructus et, ut apparebat, antiquus, in quo dicebatur reconditum fuisse corpus dicti sancti confessoris. Et iterum facta oratione dictus reverendissimus D. Cardinalis mandavit cuidam fabricatori ad id vocato, ut amoveret quosdam lapides marmoreos, quibus dictus tumulus cooperiebatur. Amotis autem iis, introspectives omnes qui tunc aderant, nihil viderunt praeter telas aranearum hinc et inde, et in medio fundi dicti tumuli glebam terrae telis aranearum coopertam; quam cum praedictus illustrissimus D. Cardinalis quodam frusto ligni coepisset evolvere, repente odoris mirifici fragrantia quaedam erupit, unde cuncti mira fuerunt consolatione repleti. Cumque nulla subesset vel considerari posset naturalis causa, ad sanctissima illa ossa cineribus admixta, tantae rei novitatem referre visum fuit, praesertim quia cum dictis cineribus reliquisque sacris fuerunt reperta quaedam frustula capsulae levigatae tineis tamen corrosae, et humiditate ac vetustate penitus consumptae, quae potius obolere quam redolere ex se poterant. Per manus

igitur eiusdem D. Cardinalis amplissimi ossa D praedicta cum parte cranei in capsula quadam lignea ad id tunc temporis ibi parata, devotissime recondita asservata fuisse (l. fuerunt). Et similiter sacrae reliquiae corporis supra dicti S. Valerii, quae prius fuerant in quodam loculo, super altari nomini eius dicato fuerunt accommodata. Ad quae omnia et singula ipsi interfuimus eaque vidimus oculis nostris manusque nostrae contrectaverunt, sicque vere et realiter evenisse recordamur.

In quorum fidem praesentes testimonii ac veritatis litteras fieri fecimus, ipsas manu propria subscripsimus illisque sigillo nostro maiori muniri mandavimus.

Datum Terami, in nostro episcopali palatio Aprutino, die XVIII augusti 1600.

Signat. Fr. Vincentius Monte Sanctus episcopus Aprutinus.

Mutius Ciancius not. et episcopalis curiae Aprutinen. actarius etc.

Suprascripta omnia eo tempore ac plane uti hic recensentur vera esse recordamur et contestamur nos ipsi.

Octavius S. R. E. presbiter Cardinalis Paravicinus die 2 septembris 1600 (2).

7. Arcam a Cardinale Paravicino debite ob- *Recognitio*  
signatam rursus aperuit anno 1600, die 13 ianua- *anni 1600.*  
rii, qui eidem suffectus est vir venerabilis Petrus Georgius Odescalchus, eamque pristino in loco collocavit (3), donec anno 1601, die 9 septembris, sollemni instituta processione reliquias SS. Baudolini et Valerii per civitatem circumferret et in eandem ecclesiam reduceret. Corpus autem S. Baudolini repositum est in capella quae tunc patrum Dominicanorum Alexandriae commorantium erat (4), ubi intactum remansit ad annum usque 1803. Hoc anno videlicet destructa fuit ecclesia Sancti Baudolini eiusque reliquiae translatae in ecclesiam Sancti Alexandri, dein, anno 1810, in ecclesiae Sancti Marci, quae nunc cathedralis est, capellam minorem, tandemque nova facta sollemni translatione, in primam capellam ad sinistram altaris maioris, ubi etiamnum quiescunt.

*Translatio in ecclesiam catholicam.*

(1) Valerius ille episcopus et martyr ceterum ignotus est. Cf. G. T. CANESTRI, *Vita di S. Baudolino... coll' aggiunta di alcune notizie relative a S. Valerio altro protettore della città*, p. 21-24.

— (2) NOVELLI, *Della vita e del culto di San Baudolino*, p. 47-48. — (3) NOVELLI, p. 38-39. — (4) I. B. SALA, in *Vita ven. P. G. Odescalci*, 34, *Act. SS.*, Propylaeum Maii, p. 11.

## OFFICIUM S. BAUDOLINI

*E breviario Humiliatorum. Cf. Comm. praev. num. 3.*

**De S. Baudolino episcopo et confessore.**

**In primis Vesperis.**

ANTIPHONA AD MAGNIFICAT. Baudolinus in hortulo serit olerum semina: quibus superveniens viator famelicus sub ipsa hora natis vescitur et obstupescit ad miraculum.

ORATIO AD HORAS. Propitiare nobis, quaesumus, Domine, famulis tuis per huius sancti con-

fessoris tui Baudolini merita gloriosa, ut eius pia intercessione ab omnibus protegamur adversis. Per Dominum.

<Ad Matutinum.>

LECTIO PRIMA. Hic vir sanctitate eximius, cuius hodie festum colimus, Baudolinus nomine, ab oppido quondam celebri, quod Forum dicebatur, sed postmodum labentibus rebus in par-

-vum

A vum vicum redactum, nunc Villa Fori (1) ab incolis appellatur, ubi mapalia pastores agunt, haud ita procul ab Alexandria Europae, oriundus fuit.

LECTIO SECUNDA. Orbatus itaque utroque parente, cum placuit Altissimo, postquam vidit Baudolinus humana haec omnia quae ab his, qui ea suspiciunt, prima ducuntur, nullis suis subnixis viribus, fluere et labi, statuit animum ab eorum cupidine prohibere et his maxime rebus intendere quae, cum firmatae sint et perpetuae, securitatem vitae atque animi tranquillitatem pariunt, suosque cultores caelo inferunt.

LECTIO TERTIA. Ceterum, quo vacuo magis animo rem ipsam perageret, suisque studiis obsequi posset, distractis quaecumque ex patris haereditate possederat, quicquid inde pecuniae conflatum est, id totum levandae pauperum inopiae et miserorum deprecandis incommodis erogavit.

B LECTIO QUARTA. Exutus igitur rebus omnibus aequae ac eorum cupidine, solitarium locum petiit iuxta templum Deiparae Virginis quod Fori erat, antiqua religione sed populo infrequens. Ubi die noctaque ieiuniis et orationibus incumbens, adeo celebre nomen adeptus est sanctitatis ut multi mortales ad eum confluerent, alii alia petentes.

LECTIO QUINTA. Miraculis plurimis claruit: quibus effectum est ut duo episcopi, Derthonensis

(1) Forum unum est ex oppidis quorum incolae post exstructam Alexandriam eo confluxere. Cf. Comm. praev. num. 1. — (2) Vulgo Bormida, —

scilicet et Aquensis, apud quos ipse invidia quorundam religiosorum falso delatus fuerat, in suorum episcopatum socium et collegam eum adoptarent, licet renuentem.

LECTIO SEXTA. Tandem praescius mortis suae, in Domino feliciter requievit quarto idus novembris, regnante Luitprando Longobardorum rege. Cuius corpus e Foro in Alexandriam iussu Alexandri tertii, pontificis maximi, qui titulum ac nomen ei civitati dedit, translatum, in templo sub nomine ipsius constituto usque in hodiernum diem conditur.

EVANG. Homo quidam peregre proficiscens etc. cum sua Homilia.

<Ad Laudes.>

ANTIPHONA AD BENEDICTUS. Dum Derthonam pergat vir Dei, tunicam aquis instratam cum nuncio episcopi conscendens, in nomine Domini amnem Burmidam (2), tunc vado insuperabilem, ac si nave vectus esset, incolomis pertransivit. E

In secundis Vesperis.

ANTIPHONA AD MAGNIFICAT. Ad iussa Baudolini veniunt anseres ac dicto audiunt (3), cerva potum plenis praebet ab uberibus. Magnificemus ergo Dominum, qui potens est, et in sancto suo Baudolino operatus est magnalia.

(3) Hinc moris est pictorum S. Baudolinum medios inter anseres hinc inde fugientes effingere.

## DE S. CONSTANTINO

### MARTYRE IN BABYLONIA

AN. 853

P. P.

C

F

#### COMMENTARIUS PRAEVIUS

Passio Constantini Hiberi  
nec stilo orationis

1. Ambiguum sui legentibus opinionem facit Passio hiberica S. Constantini principis, qui paulo post dimidiatum saeculum IX ab Arabibus occisus fuisse perhibetur. Quae de sancti martyris vita et obitu in hoc libello relata sunt, nemini dubitationem inicerent, qui eadem alicubi breviter memorata reperisset. Verum in proluxa et circumfluente illa oratione multa desunt quae scriptor ab ipsis rebus probatisve documentis non nimum remotus omittere non poterat. Quin immo non pauca admixta sunt quae patenter historiae refragantur. Itaque ab ipso ingressu disquisitionis, obvia coniectura se intrudit: de S. Constantini martyrio certum quoddam documentum olim exstiterit, quod sequiori aetate hagiographus aliquis loquacior quam mendacior inani facundia diluerit, ut e ieiuno elogio longulam narrationem coqueret. Sed non ita perspicuum est quae rerum summa ar-

gumentum illud constiterit. Ut igitur haec investigatio quoquo modo nobis succedat, ante omnia cernendum est quantum Passionis dicta per se ipsa valeant; ne fallaci eius auctoritate cetera testimonia obscurantur, quae huic certissime praestant. Illa seclusa, deinde videbimus quid de S. Constantino ex historicis monumentis probabiliter colligi possit. Tandem quaestiunculae aliquot residuae de eius cultu et memoria breviter expedientur.

#### § I. De Passione S. Constantini.

2. Typis vulgata est Passio S. Constantini a Michaeli Sabinin in opere utilissimo quidem sed mire inaccurato quod inscripsit Paradisum Hiberiae (1). De codice quo usus est, pios lectores nihil sollicitos esse existimavit. Sed nisi editor

nec codicum fide

(1) საქართველოს სამეფო (Petropoli, 1882), p. 363-70.

ipse